modo. Supra primam figuram ad manum dextram ponatur 0. Deinde, omissis quinque figuris intermedijs, collocetur 1. supra sequentem figuram, quæ septimum locum occupat. Post hanc, omissis rursus quinque figuris, scribatur 2. supra figuram, quę tertium decimum occupat locum. Atq; ita deinceps, omissis semper quinq; figuris, ponatur 3.4.5. &c. Vt hic in eodem exemplo factum est.

2 1 0

4 2 3 2 9 0 8 9 5 6 2 8 0 9

Quodlibet membrum continet sex figuras (vltimo membro excepto, quod vnicam potest habere figuram, vel duas, vel tres, vel quatuor, vel quinque tantum) quæ omnes simul enuntiandæ sunt, & post enunciationem cuiusuis membri toties dictio [Millio] addenda, quot vnitates sunt in figura supra mẽbrum posita, primò quidẽ in recto, deinde verò semper in obliquo. Vt autem quodlibet membrum faciliùs enuncietur, ponendum erit punctum sub quartâ eius figurâ, quod significabit, locum ibi millenarum esse. Igitur superius exemplum ita proferẽdum erit. Quadraginta duo milliones millionum; trecẽta viginti nouem millia millionum, octogintanouem milliones; quingenta sexaginta duo millia, octingenta.

ADDITIO INTEGRORVM NVmerorum. CAP. II.

Additio quid.

ADditio est duorum, vel plurium numerorum in vnam summam collectio.

Numeri